

† Fr. I. Gerardus Classen (1878–1931)
et † Fr. I. Raphael Hörter (1889–1931).

(Prov. Germ. Inf.)

Fer. II, 16 Martii 1931, catholici Bochumienses solito etiam numerosiores ad ecclesiam nostram accurrerunt. Cum enim alias S. Gerardus noster hebdomadis initio plurimos eo attrahere soleat (1), hoc die gloriosus Gerardus videbatur locum cedere duobus confratribus, qui ipsum in humili Fratris servientis conditione secuti, nuper Bochumii in S. Ioseph nosocomio morti stipendum solverant, et eo die 16 Martii, licet triduum inter eorum obitum intercessisset, simul ad sepulturam erant efferendi.

Horum igitur Fratrum duorum exsequiae sollemnitatem induerunt, quae principe haud indigna fuisset. Vastum enim templum mane pia gente oppletum erat, ut vix unquam alias. Etiam 13 sodaliorum catholicorum vexilla ibi videre erat. Ipse Provinciae Superior, Pl. R. P. Franciscus Schneider, vum multis aliarum communitatuum confratribus funeri interesse voluit, et recitato in communi officio defunctorum, sollemnem Missam exsequialem celebravit, intra quam permulti fideles in harum animarum solamen s. communionem receperunt. Parochus vero vicinae ecclesiae S. Ioseph ad *Libera* absolutionem dedit.

Pompa funeris, utut maesta, non carebat singulari celebritate. Centeni enim et milleni fideles pie et ordine vel ante vel post feretri currum incedebant et usque ad coemeterium sat distans horum Fratrum corpora mortua comitabantur; centeni et milleni alii ad latera viae stabant taciturni et precantes. Ad sepulchrum apertum recitantur a tot sacerdotibus et immensa multitudine preces rituales. Chorus S. Alphonsi, quem sodales S. Familiae efformant, cantat ultimum maeroris simulque solacii cantum. Tredecim vexilla denuo reverenter demittuntur, et ipsa quoque veluti ultimo salutant: *Avete, piae animae! Boni milites Christi Iesu, valete!*

Postero die loci ephemeris catholica «Westfälische Volkszeitung» scripsit: «Hesternus dies iterum clarissime demonstravit catholicos Bochumienses sincero amore erga S. Alphonsi filios esse affectos et iuxta aestimari ab iis Patres et Fratres laicos. Sciunt enim e domo Redemptoristarum immensa bona profluere in alias familias et innumera corda. Quot lacrimas Fr. Gerardus abstulerit, quot famelicos satiarit, quot familiis indigentibus Superiorum mandatu succurrerit, solus Deus novit.»

Atque his quidem de funere horum duorum Fratrum ennarratis, utriusque vitam per summa capita comprehendamus.

(1) Cf. *Analecta IX*, 307 sq.

Ioannes Nicolaus Hörter, inter nostros *Fr. Raphael*, erat Mosellanus, natus in Dieblicherberg 6 Dec. 1889. Parentibus in prima iuventute orbus, a. 1909 ad nostram familiam se aggregavit, sacra veste indutus est festo SS. Innocentium, festoque Immaculatae Conceptionis 1914 se totum



Corpora emortua Fr. Gerardi (qui aspicienti propior)
et Fr. Raphaelis, fraterne unita.
(Imago e *Volksmissionar* desumpta est.)

per vota Iesu Christo et Congregationi consecravit. Huius professionis etiam tunc probe memor mansit, cum tempore immanis belli e claustralibus vitae quiete evocatus militare cogebatur. Emeritis stipendiis laetus ad religiosae vitae exercitia rediit et in sex Provinciae domibus Deo fideliter servivit, tum sacrista, tum hortulanus, tum coquus. Quo difficilius, utpote surdaster, cum hominibus loquebatur, eo libentius orando conversabatur cum Deo et caelicolis, et ita vitam absconditam cum Christo in Deo degebat.

Gravis et diuturnus morbus, qui in sanguine sedem habebat nec forsitan satis cognoscebatur, Fratris vires praemature consumpsit. Ultimis vitae diebus dolores sustinuit ineffabiles. Corpus evasit durum velut petra, et miserandus Frater aegerrime spiritum ducebat. Tamen patientiam et suae voluntatis cum divina conformitatem non amittebat. Manus iunctas

elevans et oculis apertis continuo sursum respiciens, Deo vitae suae sacrificium offerre videbatur.

Pridie quam exspiraret confessarium suum denuo ad nosocomium vocavit, et Deo benigne ita disponente, vesperi non modo suum P. Rectorem apud se vidit, qui tum ipsum e missione redierat, sed etiam suum P. Provincialem, qui iter faciens Bochumii pernoctare volebat. P. Rector ei extremam unctionem, P. Provincialis absolutionem generalem dedit et votorum renovationem exceptit. P. Rector dein noctem ad carissimi confratriis lectum transegit et mane diei 10 Martii eum in pace Christi animam efflantem vidit. Erat hora 8.15, qua hora Fr. Raphael tempore infirmitatis cum tanta constantia sacrificio Missae interesse consueverat. R. i. p.

Matthias Iosephus Classen, postea in religione *Fr. Gerardus*, qui primario illa funerum sollemnia excitavit, natus est in Würselen prope Aquisgranum 21 Ian. 1878, et iuvenis 21 annorum in vicinum nostrorum collegium Vaalsense candidatus intravit. Sacra veste indutus est festo Exaltationis S. Crucis a. 1900 Epternaci, et eodem festo recurrente Luxemburgi a. 1905 vota perpetua nuncupavit. Per duos annos cum dimidio Fr. Gerardus, optimis facultatibus pollens, domui iuvenatus Vaals servitia sua pretiosa praestitit, per 23 reliquos annos collegio Bochumiensi, qua sacrista, et certis diei horis qua ianitor, ubique sua modestia, comitate, caritate, pietate Christi bonum odorem spargens aliorumque amorem sibi concilians.

Cum belli tempore et primis post bellum annis Germaniae incolae tanta annonae premerentur, Fr. Gerardus permulta itinera, saepenumero valde ardua, suscepit, ut apud agricolas ipsos confratribus aliisque indigentibus victum necessarium compararet. Nemo enim Gerardo nostro, qui etiam externe sui sancti Patroni similitudinem referebat, petenti aliquid denegare poterat. Postquam dein tempora paulo meliora rediere, Gerardus, domus Dei decorum adeo diligens, nullum non movebat lapidem — at semper Superioribus perfecte subordinatus — ut nostra ecclesia Bochumiensis instauraretur digneque exornaretur. Etiam de amplianda domo et de fabricanda nova magna aula singulariter meritus est. Hac igitur ratione humilis Frater, simul cum Adm. R. P. Rectore Theodoro Fischer, exegit *monumentum aere perennius*.

Gerardi virtus, probata in camino tribulationis et corporalis et spiritualis, reperta est aurum mundum. Semper apparebat idem; semper vultu pacem et gaudium cordis referebat. Licet iam infirma valetudine utens, ad exemplum sui sancti Patroni labori non parcebat, donec vires plane exhaustae essent. Diu in nosocomio decumbebat simul cum Fr. Raphaele, et tum inter eos conventum erat, ei, qui prior moreretur, penes Deum efficiendum esse, ut frater fratrem mox sequi posset. Ita factum est.

Mors Fratris Gerardi accelerata est, uti haud semel fit, operatione chirurgica, qua gravissimus morbus hepaticus apparuit, usque ad illud momentum ab ipsis medicis non satis cognitus. Priusquam operatio fieret, Fr. Gerardus cuidam Patri dixit: « Si malum exitum habitura sit operatio, cupio mori cito, quo minus laboris communitati, iam fer. III morte Fr. Raphaelis turbatae, obveniat. »

Fer. VI, 13 Martii, paulo ante meridiem Adm. R. P. Rector Iosephus Kreutz et alias Pater ad Fr. Gerardum veniunt, velut ab eius Angelo vocati. Inveniunt eum valde debilem, immo moribundum. Optimus Frater denuo sacramentum poenitentiae recipit, etiam sacrae hostiae particulam deglutire valet. Renovat vota religiosa, veniam cuiuscumque scandali forte dati humiliter expostulat, seque cunctis ignosci declarat. Sensim et paene sine sensu haec pretiosa vita extinguitur sub trium confratrum orationibus, qua exstincta Soror quaedam hospitalaria exclamat: « Utinam athei mortem adeo pacificam et beatam viderent! » P. Rector vero, qui utrique Fratri morienti adstiterat, postea Analectorum moderatori scripsit: « Si non adfuissem, magna gratia me defecisset. Quanta pax, praesertim in ultima hora! »